Dissertatio medica inauguralis, de hydrope ... / eruditorum examini subjucit Arthurus Grant Robertson, Antiguensis.

Contributors

Robertson, Arthur Grant
University of Edinburgh

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie ..., 1783.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/fkmyxhm9

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYDROPE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ARTHURUS GRANT ROBERTSON,

ANTIGUENSIS.

Prid. Id. Septemb. hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIII.

JOANNI ROBERTSON,

Medentium peritissimo,

Hominum probissimo,

Parentum optimo,

Piissimo,

Hunc medicum laborem,

Ita ut eo indignum esse doleat,

Ea qua par est reverentia, et pietate,

Infra pedes ponit

Amantissimus filius

ARTHURUS GRANT ROBERTSON.

†

CORRIGENDA.

Pag. 22. l. 5. *pro* ſerositates *lege* ſerositatis.

25. l. 7. *pro* immunere *lege* imminuere.

28. l. 6. *pro* affectiones *lege* affectionis

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROPE.

EX illuſtris academiae inſtitutis, lauream medicam petentium ſcientiae documenta poſtulantibus, quoniam inter alia, charta quoque, qua aliquid ad medicinam pertinens tractetur in lucem edenda, requiritur; ideo ego de hydropis frequentia, et exitiali fine importuni imprimis mali, cauſis et natura, ſcribendum exiſtimavi.

DEFINITIO.

Hydrops eſt, ubi corpus omne, aut aliqua pars ejus, molliter, aequaliter, et ſine elatere intumuit.

LOCUS MORBI NOSOLOGICUS.

In omni cujuſvis rei ordinatione, ſive corpora naturalia, ſive morbos reſpiciente, e duabus rationibus, quarum altera pro diverſorum hominum arbitrio variat, altera ex communi eorum, quae ordinantur, natura, trahitur; haec illi haud obſcure praeſtat, et ſi perpetuo attingi non poteſt, ſaltem, quantum poteſt, exſequenda eſt. Qua quidem ratione, praeter ea, quae quivis ordo dat, commoda, hoc inſuper acquiritur; ut eorum quae conjunguntur proprietates communes, disjungendorum diverſas, compendio

pendio quaſi addiſcas, et ſic ordini incerto, ſcientiam veram adjicias. Verum enimvero haec felicitas perquam parce adhuc et maligne hominibus contigit, nuperque tantummodo ulla ex parte reperta eſt, et quaſi philoſophiae ſolidioris lux obſcure nobis, nunc demum incipit adfulgere.

Hydrops, ſive pro genere ſive pro ſectione noſologica habeatur, eſt unum ex quatuor generibus ſeu ſectionibus, quae Intumeſcentiae apud Cullenum dicuntur; quarum tres a fluido aliquo congeſto, veluti aëre, aqua, aut adipe pendent; quarta vero a corpore ſolido vel firmo ignotae fortaſſe naturae. Hae intumeſcentiae, adipoſae, flatuoſae, aquoſae, et ſolidae nuncupantur. Neque ſignorum, ut ex ſingularum definitionibus cernere licet, ſimilitudine adeo diſcrepant, quin ad unum ordinem, ſive caput mavis, ſatis commode contrahantur; cum ſingulae ſatis inter ſe differant, ut recte diſtributae videantur. Quod ſatis ad noſologiam eſt.

Sed

Sed naturalem ſimul hunc ordinem eſſe, cauſa non eadem, ſed in aliis alia, derogare fidem videtur. Eſtque hic, ut alibi plerumque, noſologiae defectus, pathologia ſupplendus; quippe quae, utraeque non ad alteram ſubvertendam, ſed mutua ope juvandam et confirmandam, inventae ſint.

DIAGNOSIS.

A reliquis ejuſdem ordinis ſectionibus hydrops ſic, ab adipoſis pinguedinis, a flatuoſis aëris, a ſolidis ſolidi, in nimium excreſcentis, abſentia, diſtinguitur. Quod ſi fuſiore explicatione opus eſt, cum hydrope obeſitas vix poterit confundi, cum in hac nullam, in illo ſemper manifeſtam, notam imprimens digitus, relinquat; nec tam ſubito pinguedo, quam hydrops, increſcat. Ad hunc rurſus a flatuoſis adfectibus diſcernendum ſatis plerumque erit, quod ab eo ſonus omnis, praeter undulan-

tem

tem aliquando, abeſt, ſemperque mollis tumor eſt. Denique, a phyſconia, quicum ſola confundi poteſt, aſcites dignoſcitur, quod cum fluctuatione ſemper eſt. Eandem aſcitem a rachitide, huic caetera morbo propria, et fluctuatio abſens, diſterminant.

HYDROPIS DISCRIMINA.

Hydrops a noſologis, pro magno genere, in minora deducto habetur; nec quantum ſymptomatum diverſitas reſpicitur injuria. Quae, quanquam idem funditus morbus ſit, alibi corporis alia ſunt, et actiones laeſae aliarum partium alia ſymptomata ſuſcitant. Sic in hydrothorace, ſpirandi actio, in hydrocephalo cerebri nervorumque officia, impediuntur, et propria dant ſymptomata; ut ex ſingulorum caſuum definitionibus patet. Eſt igitur, ratione naturae habita, genus tantummodo hydrops, ac ne ſpecies quidem, ſed varietates ſeu caſus, ſe-

de

de variantes, recipit. Ii casus, Culleno auctore, anasarca, hydrocephalus, hydrorachitis, hydrothorax, ascites, hydrometra, et hydrocele, sunt; qui sane, si nosologiae legibus, quae semota causae ratione, sola symptomata spectant, standum est, pro totidem generibus jure habentur.

Aliud discrimen, non nosologicum, utpote sensibus non manifestum, abdita morbi natura dat. Id discrimen causae, prout ea toti corpori communis, aut parti propria est, ratio excussa praebet. Neque, ut curatio monstrat, morbi, in mobilem aut immobilem, medicabilem aut immedicabilem, distinctio inutilis est, quippe quae ad altiorem morbi contemplationem ducat.

Quia vero in curatione, inter hydropem, ut symptoma, eundemque ut morbum, ex propria et non aliena causa pendentem, saepe distinguere difficile est, et interest distinguere; ita inter causas remotas tradendas,

das, poſtque eas traditas, id paucis adgrediemur.

PROPRIA CAUSA.

Hydropis omnis cauſa eſt ſeroſae ſanguinis partis extra vaſa accumulatio; cujus quidem non alia plerumque cauſa eſt, quam ſolita exhalatio modum ſuperans, vel abſorptio deficiens. Hinc in cavum aliquid aut telam celluloſam humoris aquoſi copia congeritur; nec ulla alia cauſa morbi concipitur. Humor autem, ſic effuſus, aut cavis corporis detentus, eſt ſemper fere lympha, quam arteriolae exhalantes emittunt, aut ſemper ſaltem latex aquoſus, quem abſorbentibus ſuis finibus acceptum, venae lymphaticae ad rubras reducunt. Hujus exemplum eſt ex urina retenta hydrops; ubi urina, lymphae per propria huic vaſa, iter ſequens, et ſanguine recepta, tandem ſolita via arteriolis exhalantibus, in diverſa

corporis

corporis loca, effluit. Ea plerumque non ſanguinis ſerum, ſeu ea pars quae glutine diſſoluto et aqua ſalina conſtat, ſed ſola fere haec, nempe ſeroſitas, eſt. Quam ſeri aliquantulum, vel interdum urinae, vel, ut veriſimile mihi eſt, humoris extrinſecus derivati qualis diabetem efficit, et ad hydropem efficiendum pertinere poteſt, ingredi queat, et variam humoris ſpeciem praebere; tamen ea varietas a ſtagnatione haud minus forſan, quam a diverſa humoris natura, pendet. Quin et, ſi ſuper ſumma viſcerum facie in hydrope, juſtum pus De Haenus et noſtri in noſocomio viderunt, id ſeri partem elapſam, et in pus ſtagnatione converſam, tantum arguit: Redit igitur tota res ad copiam et cauſas ejus.

Principia, ſeu cauſae remotae hydropis ſunt, omnia quae alterutrum hunc ſtatum relatum efficiunt.

Effuſionem efficiunt tria, 1mo, Aucta ubivis exhalatio. 2do, Lymphatica vaſa

rupta.

rupta. 3tio, Ex aucta in exiguo loco exhalatione veſiculae ſaccive repleti dein diſrupti *.

Exhalationem nimiam, quae longe frequentiſſima effuſionis cauſa eſt, faciunt quinque; primum, ſanguis per venas redire ad cor prohibitus; dein, reſiſtentia vaſcula excernentia; tum, auctus in arteriis impetus; denique arteriolae exhalantes relaxatae; poſtremo, humoris aquoſi copia intus in corpore abundans.

Ex his quinque exhalationis originibus ut a prima incipiam; ſanguinis ad cor impeditus reditus eo exhalationem auget, quod cum omnis arteriola rubra in venam rubram deſinens, alterum quoque finem, nempe arteriolam exhalantem, habeat; ita in illam, quacunque de cauſa tranſire ſanguis prohibitus, in hanc, ut proximam vi-

* Vide tab. Cullen. earum per quae hydrops fit.

am convertetur, augebitque exhalationem. Quam rem veram esse plurima declarant.

Rursus, sanguinis venosi reditum impediunt sex; primum pulmonum, item cordis, dein jecoris et lienis, impedimenta; tum corporis erectus habitus, denique plethora venosa, postremo venae obstructae.

Hydropis frequens causa sunt pulmonum impedimenta; scilicet, in quem dyspnoea, cum longa est, saepissime vertitur. Neque membranae, summos pulmones obtegentis, ex inflammatione orta obstructio raro in hydrothoracem transit. Eundemque alia hic impedimenta eventum aliquando trahunt. Eodem pertinet cordis obstructio quaevis. Cujusmodi sunt, valvulae in osseam naturam versae, polypus venarum cavarum, et similia alia quae sunt.

Cum haec viscera tantum sanguinis perfluat, scilicet cor et pulmones universus corporis sanguis, jecur autem et lienem satis magna copia; manifestum est, sive venae

praecipue

praecipue impediuntur, in respondentium arteriarum fines incubiturum onus, et exhalationem auctum esse; sive impediuntur simul arteriae, et sic sanguinis fluentum ad angustius spatium redigitur, tam in alias arteriarum liberarum partes, quam praecipue in fines, impetum auctum iri. Eoque tales obstructiones, hydrothoracis et ascitis validissimae et creberrimae causae sint, necesse est. Eaeque causae simpliciter remotae sunt, utpote quae, sine ullo seminio, seu conditione corporis in morbum inclinante, hunc efficere queant.

Neque alia ratio est alius causae, corporis nimirum posituraе erectae: Qua fit, ut sanguis ad cor difficilius ascendat, et sic retardatus, exhalantes arteriolas versus impetum intendat. Hinc in corporibus imbecillis oedema; et hinc quoque sub noctem vel sanissimorum crura oedematose quodammodo tument. His auctae exhalationis causis venosam ex obstructis menstruis, haemorrhoidibus, profluviisve serosis, plethoram

ram annumerare, consuetum est. Verum, ni fallor, inde pendens plethora, non tam in causa est, quam exhalantium, quam ii morbi dare noti sunt, vasculorum atonia. Nam si cachexia, cujus praecipua origo menstruorum retentio est, ventriculi tonum imminuendo, dyspepsiam cachecticam gignit, cur non et alibi, eoque in arteriolis exhalantibus, fibrarum muscularium tonum afficiendo, illarum potius relaxatione, exhalationem adaugeat. Quod si fit, haec causa non hujus loci est, ad quartam auctae exhalationis causam releganda.

Novissima auctae exhalationis, eoque hydropis, origo est venarum quaelibet occlusio. Redit autem haec ad obstructionem et compressionem. Quae, cum super cerebrum incidunt, diversorum malorum causa est, ut apoplexiae, epilepsiae, et aliorum capitis adfectuum. Cumque adultis hydrocephalus internus rarissimus sit; effusiones vero serosae, ut incisiones Lieutodianae et Morgagnianae testantur, frequentissimae

tiſſimae ſint, et morbos, de quibus modo relatum eſt, excitent; ideo eas, ad ſummam, non potentem intra cranium hydropis cauſam eſſe, judicandum eſt. Ut autem aliquando morbus hac aetate incidit, ita effuſiones relatae aliquando quoque ejus cauſa eſſe poſſunt. Tumores tamen, venas comprimentes, anginam aquoſam fecerunt.

Extra venas comprimunt ſchirrus aut ſteatoma, item graviditas, poſtremo, aquae congeſtio, qualis in aſcite fit, quae ut cauſa ſeſe auget. Harum omnium hydropis cauſarum una eademque ratio eſt, ſcilicet, impedito per venas ſanguinis reditu, verſoque in propriorum ei vaſorum fines impetu, exhalationem adaugere.

Idem, ut ſupra dictum eſt, efficiunt reſiſtentia vaſa excernentia, eodemque etiam modo; ſcilicet, in arteriolas exhalantes impetum urgendo, agunt. Hic autem non de excretionibus aquoſis retentis, humorem

aquoſum

aquoſum intus inclinantibus, et ſic morbum excitantibus, agitur; quarum ratio ad quintam auctae exhalationis cauſam, nempe immodicam intus aquae copiam, redit, et ibi pertractabitur: Vis reſiſtens, quam hic dico, ejuſmodi eſt, quae in vicinas arteriolas exhalantes impetum dirigat. Ubi autem perſpirationem ſubito repreſſam, aut frigidam epotam, repente hydrops ſequitur; ibi nulla aquae, quae ſubito naſci nequit, abundantia ſuſpicanda eſt, ſed alterae cauſae, nempe auctae exhalationi, neceſſario tribuendus.

Tertia auctae exhalationis cauſa eſt aucta arteriarum actio. Hanc auget aut extrinſecus illata vis, ut in nervorum diſtentionibus et contuſionibus, aut arteriarum, ab interna cauſa actio immodica, qualis in inflammatione, aut febrili impetu, incidit. Contuſiones vaſa diſrumpunt, et humores, qui in illis continentur, effundunt.

Porro, licet conſuetiſſimus inflammationis finis reſolutio ſit; ubi, exhalato humore abſorpto,

abſorpto, morbus nullo ſui veſtigio relicto decedit; vel ſuppuratio, quae eſt morbi in alium mutatio; tamen aliquando, et propter auctum quoque impetum, inflammationem hydrops ſequitur. Ita tumorum ſeroſorum qui rheumatiſmum ſecuti ſunt Storkius medicus Viennenſis meminit. Item, poſt thoracis aut abdominis inflammationes, humoris effuſi ſemper plus minuſve reperitur. Quam effuſionem, licet ab atonia aut relaxatione vaſorum ſaepius ſit, tamen etiam magna illa arteriarum, quae ſub inflammatione vehementiore ſit, actio, has praeter modum ad extremos fines diſtendens, tandemque exhalantium ora nimis patefaciens, aliquando quoque efficere videtur. Quin et hydropis, febres intermittentes ſecuti, eadem interdum ratio eſt.

Hae omnes, effuſionis per auctam exhalationem, cauſae activae ſunt, et urgendo in exhalantes fines impetum agunt. Quae deinceps ſequuntur, duae diverſae naturae eſſe habendae ſunt.

Quarta

Quarta auctae exhalationis, hydropem trahentis, causa, arteriarum relaxatio est. Hic, ut in diabete, mechanica dilatatio forsan aliquando incidit. Verum ea relaxatio saepius suspicanda est, quam vasorum exhalantium atonia procreat. Quin et in arteriolarum, sine musculorum paralysi, consistere aliquando hydropem, credibile est. Item chlorosis, quae magna saltem ex parte in atonia posita esse videtur, in ascitem aut anasarcam saepe degenerat. Quae res hydropis cum atonia nexum satis indicat, et in exhalantium vasculorum relaxatione aliquando illum consistere declarat. Quin et alii cachexiae casus, qui pro incipiente anasarca habendi sunt, saepe tales sunt, quia vascula exhalantia simul relaxantur. Eidemque saepius, quam activae causae, tribuendae effusiones sunt, quae inflammationem aut febres intermittentes subsequuntur; ubi aucta extremarum arteriarum actio magna et violenta in contrarium statum, nempe earundem atoniam, vertitur.

Novissima

Noviſſima exhalationis nimiae cauſa eſt, nimia humorum aquoſorum intus copia. Hanc tria faciunt; primum aquae plus juſto ingeſtum; tum partium ſanguinis craſſiorum aut tenaciorum ablatio; poſtremo partes aquoſae nimia intus retentio. Aquae plus juſto aſſumptum hydropem facere, multa declarant. Quae ſic intus abundans, quam facile per exhalantes arteriolas dilabatur, Haleſii experimentum docet. Is, jugulari vena aperta, et aqua calida infuſa, cito canem hydrope adfecit. Partes ſanguinis craſſiores et tenaciores, rubrae particulae, et gluten non diſſolutum, ſunt. Hae ex vivi corporis venis eductae, aliquamdiu humorem uniformem faciunt, qui dein in partes abſcedit, quarum denſior craſſamentum eſt, altera et tenuior ſerum; quod ex glutine quoque, ſed diſſoluto, et parte aquoſa ſalina, nempe ſeroſitate, conſtat. Hujus partes adeo arcte inter ſe cohaerent, uniformemque humorem adeo dant, ut, ne corpore quidem ablatae, niſi calore, humanum valde ſuperante, diſſocientur. Ex tribus his ſanguinis

partibus, particulis rubris, glutine, et ſeroſitate, illae magnis vaſis continentur, et hujus partem implicatam impeditamque, quo ipſae fluentiores ſint, ſinu ſuo retinent. Seroſitates, prae reliquis partibus, copia longe maxima eſt; quippe quae ex aquoſa victus parte, quae nunquam non plurima et abundantiſſima eſt, ex affuſis ei tota via, qua ad ſanguinem itur, quas arteriolae exhalantes praebent, laticibus, ex lympha undique corporis in ductum thoracicum reduce, et interdum ex abſorpta ab aëre aqua, in magnis vaſis abundet, in minimis ſola perfluat. Sanguinis igitur omne, ſive ſponte ſive conſilio, profluvium, ſola magna vaſa afficit, minima parum tangit; ideo rubrarum particularum, maximeque glutinis, magnam, prae ſeroſitate, vim abducit; et ſic tanto, quantum ad ſeroſitatem retinendum ſatis ſit, non relicto, hanc ſuam naturam ſequi, et per vaſcula exhalantia diffluere, undique finit. Sic in haemorrhagiis, et in magnis ſanguinis detractionibus, ſimul pars rubra, ſimul gluten aufertur, et quidem copioſius

pro

pro rata parte quam ſerum, et multo lentius reſtituuntur. Quod periculum augebit dilatatio mechanica, de qua relatum eſt, quae in diabete haud dubie fit, in reliquis adfectibus fieri poteſt. Eodemque certius etiam affectorum vaſorum atonia et laxitas, quae hujuſmodi profluvia nunquam non comitantur, pertinent. Quod ad partis aquoſae nimiam intus retentionem attinet; quicquid humoris intus accipitur, id omne xxiv horarum ſpatio variis excretionibus humidis corpore educitur. Si igitur eae excretiones, quales, exempli gratia, perſpirationis et urinae ſunt, quacunque cohibentur, retinetur in vaſis humor tantiſper, dein, permanente obſtaculo, in exhalantia verſus, iis undique diffluit. Sic iſchuria cum alias hydropis formas, tum hydrocephalum, fecit. Quin et perſpiratio retenta, quae alioquin alias intus excretiones augendo, nunc catarrhum, nunc diarrhoeam, nunc diabetem, creat; non ſolum etiam catarrhum ſenilem, ſed in arteriolas exhalantes derivata, juſtum hydropem, parit.

Hae

Hae ſunt hydropis cauſae, quatenus in aucta exhalatione conſiſtunt, et longe frequentiſſima hydropis origo, exiſtunt.

Altera effuſionis, hydropem gignentis, origo eſt vaſorum lymphaticorum ruptura. Vaſa lactea, quae ejuſdem generis, ac lymphatica, eſſe novimus, diſrupta hydropem creant. Et, quoniam quaevis totius corporis vaſa aut caſu externo, aut vitio inſito, quandoque diſrumpuntur, id lymphaticis quoque contingere vix addubitandum eſt. Neque, ſi talem caſum hydrops ſequitur, aut admiratione aut explicatione opus eſt.

Tertia effuſionis cauſa eſt, ex aucta in iis exhalatione, veſicularum aut ſaccorum repletio, dein diſruptio. Exhalatio, dum modica eſt, et humor effuſus his veſiculis aut ſaccis continetur, primum, et dum ii integri ſunt, tumoris hydropici nomen non meretur. Diſrupti humorem effundunt, et, cito priſtinam magnitudinem recuperantes, effundere perſeverant. Hinc juſtus hydrops.

drops. Praeter vero hunc praecipuum et frequentiſſimum effuſionis hydropicae fontem, auctam ſcilicet per minutas arterias exhalationem, eſt alia hujus morbi origo, minus quidem communis, ſed non prorſus negligenda: Imminuta nempe abſorptio. Eam tria immunere exiſtimantur; primum obſtructio venoſa ibi, ubi vaſa lymphatica deſunt; tum lymphaticorum obſtructio; poſtremo abſorbentium vaſorum paralyſis.

Licet in corporibus noſtris exhalatio aſſidue procedat, tamen in ſanitate humor aquoſus non cumulatur. Unde, exhalatam lympham uſque, et pro ratione qua exhalatur, rurſus abſorberi, dubium eſſe nequit. Si quae partes vaſis lymphaticis carent, in iis abſorptionem per venas fieri, credibile eſt. Et, quia nullae venae lymphaticae in cerebro adhuc repertae ſunt, ibi potiſſimum venae ſanguiferae illarum fungi officio, a nonnullis exiſtimantur. Verum, quia non cernuntur, non ideo eas non eſſe ſequitur. Quas e contrario revera eſſe, ſatis manifeſti

a capite lymphaticorum vaſorum rami, dein trunci, et plurimae et magnae glandulae conglobatae in collo ſitae, item rationis ſimilitudo, quippe enim praeter cerebrum ubique lymphatica apparent, argumento ſunt. Quod, ſi ita eſt, obſtructio venoſa non aliter, quam, ut ſupra relatum eſt, aucto impetu, exhalationem augendo, agere poteſt; ſin aliter, quin eadem cauſa, majora vaſa obfarciendo, abſorptioni minorum officiat, non erit dubium. Utramque partem anatomici et phyſiologi tuentur, quorum judicio rem integram relinquimus.

De obſtructionis lymphaticae effectu, minime ambigitur. Ea autem dupliciter, in viis communibus, nempe ductu thoracico, et vaſis propriis cum eo communicantibus, et in partis alicujus vaſis lymphaticis, nempe in minoribus ubivis ramis, peccat. Si autem lymphatica partis forte obſtructa ſunt, inde partis quoque hydrops innaſcitur. Ita glandulis inguinalibus obſtructis, aliquando artuum inferiorum oedemata orta ſunt. Quod hujuſmodi hydropes ſaepi-

us

us non incidunt, crebrae horum vaſorum lymphaticorum, ut arteriarum et venarum, rubrum ſanguinem ferentium, inter ſe commixtiones, ſeu anaſtamoſes, ſapiente naturae conſilio, prohibere credendae ſunt.

Poſtremo, quoniam abſorbendi officium non, ut videtur, ex toto paſſivum eſt, id eſt, non attractione capillari inerte ſola perficitur, ſed aliqua ex parte activum eſt, ſeu muſculari actione adjuvatur; ita haec imminui, et lymphaticorum paralyſin efficere, poſſe credenda eſt.

HYDROPEM, PROUT CAUSIS VARIET, AUT MEDICABILEM AUT IMMEDICABILEM ESSE.

CASUS IMMEDICABILES

Sunt ii omnes, qui a fixis pulmonum, cordis, jecoris, lienis, et aliorum viſcerum, impedimentis, naſcuntur. Sic, quid remedium

dium magnorum vaſorum, ut cordis valvularum oſſificationis, commune venarum cavarum os occludentis, inveniatur? Idemque de polypis ibidem, niſi quod hi ſerius effectus potius, quam prima cauſa, credendi ſunt, dicendum. Ejuſdem affectiones obſcurior diagnoſis eſt, communiter tantummodo ſpirandi labore, et cordis perturbatione, ſuſpicanda. Quotieſque hydrothorax aut aſcites haec ſymptomata ſequuntur, hoc porro ſigno eorum origo oſſificatio eſſe judicanda eſt, ſi ſymptomata relata tarde ac paulatim adveniunt, et hydropicum adfectum praecedunt. Monendum praeterea, per naturae bonitatem, vaſorum in oſſeam naturam converſionem, rariorem eſſe quam vulgo creditum eſt.

Immedicabilis quoque eſt hydrops, ex ſchirrhoſis et ſteatomatoſis tumoribus, venas comprimendo agentibus, ortus. Qui, ſi tantum nacti magnitudinis ſunt, ut relato ſupra more hydropem pariant, ob hanc cauſam, et quia interni ſunt, inſanabiles

ſemper

ſemper erunt. Eundemque finem illaetabilem, ſcirrhus aut ſtrumae, venas lymphaticas adficientes, neceſſario trahunt.

Idem de hydrope, ex aucto in arteriis ſanguinis impetu, dicendum. Quo in caſu, medici eſt morbi adventum praevidere, ſed non hunc expectare. Sic, poſt pulmonis inflammationem, hydrothorax accidere poteſt. Qui, ubi accidit, hydrothorax quam maxime mature ſanandus. Idem, paulo longiore mora neglectus, certo eſt exitio.

Quatenus arteriolarum exhalantium relaxatio gignit hydropem, ſi morbi, unde proficiſcitur, aut quos comitatur, longe lateque per corpus extremae debilitatis indicia oſtendunt, actum eſt de aegrotante.

Immedicabilis hydrops ex ductu thoracico diſrupto eſt. Neque hanc ejus cauſam ſubeſſe difficile judicatu.

CASUS MEDICABILES,

Aut fauſtiorem eventum promittentes, ſunt omnes ii, quos nullus adfectus localis immobilis creat; eoque oedema in manifeſta debilitate ex erecta corporis poſitura; idem ex graviditate; item vel ex inflammatione vel ex aucto in arteriis impetu, ut hydrothorax incipiens in fine febrium natus, et mature et rite curatus; tum ex vaſculorum exhalantium aut abſorbentium atonia, relaxatione, vel paralyſi, proficiſcens, ut in iis caſibus, qui menſtrua, haemorrhoides, aut ſeroſa profluvia, ſuppreſſa ſequuntur; hi enim magis ex atonia quam ex plethora pendere videntur; denique aquae intus abundantia, ubi inveterati mali notae deſunt; poſtremo, quem contuſiones et nervorum diſtentiones modicae

magis

magis fecerunt, ſi rite curetur, medicabilibus caſibus adnumerandus eſt.

COMMUNIS CURANDI RATIO.

Finito de hydropis pathologia ſermone, quam ſolam tractare propoſitum fuit, quia fuſior de mali, tam cauſis variantis et diſcrepantis, curatione, ſermo haud commode in unam chartam conferenda videbatur. Summa igitur caſuum medicabilium curationis faſtigia ſola ſequar, et quae generatim conveniunt paucis monſtrabo.

Sudor, qui a nonnullis creditur, minus hydropis curationi convenire, ab aliis laudatur, et prodeſſe dicitur.

Urina movenda, quia, quo copioſior haec eſt, eo minus humoris praeter juſtum effunditur,

effunditur, et plus humoris jam effusi resorbetur.

Eodem alvi purgatio pertinet, quae, quo largior et constantior fit, eo magis decrescit morbus.

Vomitus multum quoque laudatus est, et haud semel hydropem, collata immensa in ventriculum aquae copia, et hac ore rejecta, sustulisse dicitur.

Punctura cutis, hujusque in inferioribus et pendulis partibus concisio, saepe tentata est, et nunc quoque, deficientibus auxiliis melioribus, aliquando tentatur, sed raro cum felice eventu.

Haec auxilia, primo quoque tempore, ad collectam jam aquam auferendam, utenda sunt. Eo facto corpus tonicis et stimulantibus roborare, dein vasa bono sanguine per cibum alentem, ubi jam vires eum tam poscunt,

poſcunt, quam ferunt, replere, et exercitatione, viribus accommodata, reparare, perquam neceſſarium erit.

Finito hoc ſumma feſtinatione opuſculo, Profeſſoribus hic, ob doctrinae traditae beneficium, ipſorumque adverſus me humanitatem, gratias ago.

F I N I S.